Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Lectionarius de tempore - Cod. Aug. perg. 13

[Reichenau ?], [13. Jh.]

Feria IIII. Secundum Iohannem [= 6,44]. Omelia beati Augustini episcopi de eadem lectione.

urn:nbn:de:bsz:31-41548

Visual Library

sequuntur. sed fugiunt ab eo. quia non
noverunt vocem alienorum. Est aliqua
vox pastoris in qua oves non audiunt
alienos. in qua non oves non audiunt
christum. Que est ista vox? Qui perseve
raverit usque in finem. hic salvus erit.
Istam qui audierit ovis est. Sed illam
audiebat nescio quis et desipuit.
refriguit. audivit alienam. Si prede
stinatus est. ad tempus erravit in e
ternum non periit. redit ut audiat quod
neglexit. faciat quod audivit. Si
de his est qui predestinati sunt. et er
rorem ipsius deus prescivit. et conver
sionem futuram. Bona vox fratres. vera
pastoris ipsa est. vox salutis in ta
bernaculis iustorum. Hec est ovium
pastoris vocem audientium. perseverare
usque in finem. Temptatio accedit.
persevera usque in finem. quia temptatio
non perseverat usque in finem. Usque in fi
nem in quem finem perseverabis?
Quousque finias viam. Et proprias oves
quis alius vocat nominatim. et edu
cit eas. hinc ad vitam eternam. nisi qui
novit omnia nomina predestinatorum?
Et quis alius eas emittit. nisi qui eis
peccata dimittit. ut eum sequi du
ris liberate vinculis possint? Et
quis eas precessit. quo eum sequantur.
nisi qui resurgens a mortuis. iam
non moritur. et mors ei ultra non
dominabitur. Tu autem.

IN FERIA IIII. SECUNDUM IOHANNEM.
In illo tempore. Dixit dominus ihesus discipulis suis.
Nemo potest venire ad me. nisi
pater qui misit me. traxerit eum.
Et reliqua. Omelia beati Augustini
episcopi de eadem lectione.

MAGNA GRATIE
commendatio. Nemo venit.
nisi tractus. Quem trahat
et quem non trahat. quare illum trahat et
illum non trahat. noli velle iudicare.
si non vis errare. Semel accipe et intelli
ge. Non traheris. ora ut traharis.
Quid hic dicimus fratres? Si trahimur
ad christum. ergo inviti credimus. ergo
violentia adhibetur. non voluntas ex
citatur. Intrare quisquam ecclesiam potest
nolens. accedere ad altare potest no
lens. accipere sacramentum potest nolens.
credere non potest nisi volens. Si
corpore crederetur. fieret in nolentibus.
Sed non corpore creditur. Apostolum audi. Cor
de creditur ad iustitiam. Et quid se
quitur? Ore autem confessio fit ad sa
lutem. De radice cordis surgit ista
confessio. Aliquando audis confitentem.
et nescis credentem. Sed nec debes
vocare confitentem. quem iudicas non
credentem. Hoc est enim confiteri. dice
re quod habes in corde. Si autem aliud
in corde habes aliud dicis. loqueris
non confiteris. .II.

Quem traxit pater? Tu es

christus filius dei uiui. Vide quia tractus est. & a patre tractus. Beatus es inquit symon bariona. quia non tibi reuelauit caro & sanguis. sed pater meus qui est in celis. Ista reuelatio. ipsa est attractio. Ramum uiridem ostendis oui. & trahis illam. Nuces puero demonstrantur. & trahitur. & quo currit trahitur. amando trahitur. sine lesione corporis trahitur. cordis uinculo trahitur. Si ergo ista que inter delitias uoluptatesque terrenas reuelantur amantibus. trahunt quoniam uerum est. trahit sua quemque uoluptas. non trahit reuelatus christus a patre. Quid enim fortius desiderat anima quam ueritatem. Quo auidas fauces habere debet. Vnde optare debes ut sanum sit intus palatum. uera iudicandi. ut manducet & bibat sapientiam. iustitiam. ueritatem. eternitatem.

Omnis qui audit a patre IIII. & didicit. uenit ad me. Videte quomodo trahit pater. docendo delectat. non necessitatem imponendo. Ecce quomodo trahit. Erunt omnes docibiles dei. trahere dei est. Omnis qui audiuit a patre & didicit ipse uenit ad me. trahere dei est. Quid igitur fratres. Si omnis qui audiuit a patre & didicit ipse uenit ad christum. christus hic nihil docuit. Quid quod patrem magistrum homines non uiderunt. filium uiderunt. Filius dicebat. sed pater docebat. Ego cum homo sim. quem doceo. quem fratres. nisi eum qui audit uerbum meum. Si ego cum homo sim. illum doceo qui audit uerbum meum. quere quid sit christus. & inuenies uerbum eius. In principio erat uerbum. Quid est autem uobis trahi a patre. nisi discere a patre. Quid est discere a patre. nisi audire a patre. Quid est audire a patre. nisi audire uerbum patris. id est me. Tractatus.

FR. V. SECUNDUM LUCAM IX.

In illo tempore. Conuocatis ihesus duodecim discipulis suis. dedit eis uirtutem & potestatem super omnia demonia. & ut languores curarent. Et reliqua. OMELIA LECTIONIS EIUSDEM.

Modo fratres cum euangelium legeretur audiuimus. quia conuocatis ihesus duodecim apostolis. dedit illis uirtutem & potestatem super omnia demonia. & ut languores curarent. Et misit illos predicare regnum dei. & sanare infirmos. Fortasse enim nemo crederet hominibus illitteratis promittentibus regnum celorum. ideo concessit illis primo potestatem signorum. & tunc misit illos predicare regnum dei. ut promissorum magnitudinem attestaretur. etiam factorum magni